

gratos sensus experiuntur. Ceterum, adversarii statum quaestionis omnino elabuntur; nos enim, cum conscientiae veracitatem propugnemus, de homine loquimur, prout, remotis impedimentis, debita facultatum suarum dispositione gaudet; illi autem exempla proferunt hominum, qui in statu versantur minime idoneo ad cognoscendum, et iudicandum.

CAPVT III.

De criterio sensuum exteriorum

ART. I. *Sententia, quae dicitur realismus naturalis, exponitur, et propugnatur*

30. *Realismus naturalis* dicitur sententia, qua statuitur sensationes esse *per se obiectivas*, idest, immediate referre res externas, adeo ut nobis certis esse liceat de rerum externarum existentia eo ipso, quod illas sentimus. Quapropter nomine *realismi naturalis* iure appellatur, quia docet existentiam rerum, quas sensibus apprehendimus, esse veritatem primam *facti*, proindeque illam *naturaliter* nobis innotescere.

31. Veritas huius sententiae, quam docuerunt Aristoteles, omnes Ecclesiae Doctores, et inter recentes praesertim Galluppius noster ¹, sequenti propositione demonstratur:

Realismus naturalis veritati consentaneus est.

Probatum. Iam a nobis demonstratum est ¹ animam per sensus percipere res exteriores corporeas ²; ² apprehendere non solum earum qualitates sensiles, sed etiam substantiam ³; ³ etsi res sensiles per species apprehendat, tamen illas immediate, seu in seipsis apprehendere ⁴; ⁴ species, per quas anima res sensiles apprehendit, ab earum actione in anima produci ⁵; ⁵ perceptionem sensitivam, etsi immediate a sensu proficiscatur, mediate tamen ab obiecto progigni ⁶; necessariam esse connexionem inter actionem rei exterioris in sensum, sensationem et perceptionem sensitivam ⁷. Ex his omnibus deduximus sensationes, sive perceptiones sensitivas natura sua esse *obiectivas*, hoc est per se ipsas rerum exteriorum realitatem nobis manife-

¹ *Lezz.*, etc., lezz. XXVI-XXX. — ² *Dynam.*, c. III, art. 2, p. 110.

³ *Ibid.* — ⁴ *Ibid.*, art. 3, p. 117. — ⁵ *Ibid.*, art. 4, p. 114-115.

⁶ *Ibid.*, p. 116. — ⁷ *Loc. cit.*

stare ¹. Atqui id in realismo naturali adstruitur. Ergo realismus naturalis veritati consentaneus est.

32. Aliud argumentum adicere lubet, quod, etsi indirectum sit, tamen nostram propositionem valide confirmat. Omnes ii, qui animam per sensus externos immediate non posse percipere corpora autumant, his duabus rationibus innitantur, nempe: ¹ Similitudo naturae intercedere debet inter subiectum cognoscens, et obiectum cognitum, ac proinde anima, quae est spiritualis, non potest se cum corporibus communicare, atque haec in seipsis cognoscere. ² Si anima quidquam extra se positum perciperet, extra se operaretur, quod certe numquam fieri potest. Atqui hae rationes nullius ponderis sunt. Ergo nihil est, cur sensationes esse natura sua obiectivas negatur.

33. *Probatum minor.* ¹ Similitudo inter subiectum cognoscens, et modum cognoscendi obiectum intercedere debet, non vero inter subiectum cognoscens, et obiectum cognitum in se spectata; quia non obiectum cognitum, sed cognitio est affectio cognoscentis. Quapropter anima, etsi sit immaterialis, potest tamen res materiales percipere, dummodo illas immateriali modo percipiat ². ² Falsum omnino est animam non posse res externas percipere, nisi quidquam extra se agat. Nam cognitio est ex eo genere actionum, quae in anima manent, non quae extra animam feruntur ³; ac proinde non alibi, quam in ipsa anima contingere potest. Quod ad perceptionem rerum sensilium spectat, illud etiam ex dictis perspicuum est, ipsam ex eo fieri, quod anima actionem rei obiectae excipit, non vero quod res obiecta excipit actionem animae. Unde agnoscendum est non quidem transitus subiecti ad obiectum, sed potius obiecti ad subiectum, quatenus nempe illud speciem sui in hoc immittit.

ART. II. *Oppositae sententiae refelluntur*

34. Philosophi, qui realismo naturali adversantur, in eo consentiant, quod doceant sensationes esse tantum *subiectivas*, hoc est, simplices animae affectiones, ideoque ab existentia sensilium affectionum existentiam rerum externarum minime manifestari. Ipsi autem in duas sententias scinduntur. Nonnulli ex

¹ *Loc. cit.* — ² Cf s. Thom., I, q. LXXXIV, a. 2 c.

³ Cf *Dynam.*, c. III, art. 4, p. 114.

eo, quod sensationes dumtaxat subiectivae sunt, inferunt nihil extra nos esse, quod nostris sensationibus respondeat, aut saltem id a nobis cognosci non posse. Horum opinatio dicitur *idealismus*, quia statuit mundum externum non extra nos, sed tantummodo in ideis nostris existere. Distinguitur autem idealismus in *subiectivum*, et *obiectivum*. Idealismus subiectivus ille est, in quo perceptiones rerum sensilium dicuntur oriri ex unica activitate animae. Idealismus autem obiectivus ille vocatur, in quo asseritur perceptiones sensitivas a quadam causa extra animam posita, nempe a Deo, derivari.

35. Alii vero, quamvis sensationes subiectivas esse doceant, ac proinde mundi existentiam non uti factum ex sensuum testimonio compertum admittant, tamen illam ex rationis decretis stabilire conantur. Haec sententia dicitur *realismus hypotheticus*, vel *rationalismus*.

36. Iam etsi hae omnes sententiae ex demonstratione praecedentis propositionis falsae esse perspiciantur, tamen praestat nonnihil contra singulas speciatim adnotare.

Prop. 1^a. *Sensationes oriri nequeunt ab unica activitate animae, ac proinde falsus est idealismus subiectivus.*

*Probat*ur. Anima in sensationibus se experitur passivam, unde sensationes sunt operationes passivae¹. Atqui in operationibus passivis ipsum *obiectum*, ut s. Thomas inquit, *est principium, et causa movens*²; id quod in sensationibus experientia etiam nobis testatur, nam in perceptione, e. g., solis experimur solem esse simul causam, et obiectum perceptionis. Ergo causa sensationum ab unica activitate animae repeti non potest.

37. Praeterea, si sensationum causa esset unica activitas animae, eae vel ex nostra voluntate exurgerent, vel ex vi naturaliter animae insita evolverentur. Atqui neutrum dici potest. Ergo.

38. *Minor* quoad singulas partes ita demonstratur: 1^o Sensationes ex nostra voluntate non exurgunt. Re quidem vera, sensationes neque adsunt, neque absunt, nisi positis quibusdam conditionibus externis, e. g., videre solem non possum, nisi dies sit, et fenestram aperiā; atque ipsae necessaria connexionē inter se continentur, ita ut aliae sine aliis haberi nequeant,

¹ Cf *Dynam.*, loc. cit., p. 115-116.

² I, q. LXXVII, a. 3 c. Cf *Dynam.*, loc. cit., p. 114.

e. g., loca alia ab aliis dissita perlustrare oculis mihi non licet, nisi singula loca percurram. Atqui affectiones, quae ex voluntate exurgunt, certe neque ex conditionibus externis pendent, neque necessaria connexionē inter se colligantur. Ergo sensationes a voluntate repeti haud possunt. Accedit quod saepe non possumus illas repraesentationes coram habere, quas maxime vellemus, immo illas experiri cogimur, quas maxime nollemus, easque nullo pacto declinare possumus.

2^o Neque ab interna vi animae naturaliter insita sensationes evolvuntur. Et sane, anima est simplex, et a Philosophis, contra quos pugnamus, sine ullo commercio cum rebus corporeis supponitur. Atqui effectus, qui ex vi naturaliter insita alicui rei oritur, naturae ipsius rei respondere debet. Ergo, si sensationes ab unica vi animae naturaliter insita orirentur, ipsas non tamquam rerum corporearum, sed potius rerum simplicium repraesentationes experiri deberemus. Atqui id ab ipsis adversariis negatur, quia ipsi, etsi dicant sensationes ad corpora realia extra nos haud referri, tamen fatentur illas tamquam corporum repraesentativas nobis apparere. Ergo sensationes ab unica vi naturaliter insita animae repeti non possunt.

39. Prop. 2^a. *Deus causa nostrarum sensationum dici nequit, ac proinde falsus est idealismus obiectivus.*

*Probat*ur contra Berkeleyum¹ praecipuum idealismi obiectivi auctorem. Et sane, in sensationibus, ut supra observavimus, cum subiectum sentiens, tum obiectum, quod sentitur, quibusdam necessariis legibus subiiciuntur, imo sensationes ipsae ita inter se plerumque colligantur, ut earum una sine altera existere nequeat. Atqui si Deus earum causa esset, neque ulla ponenda esset conditio, neque inter sensationes ulla colligatio existeret; siquidem, cum Deus sit causa prorsus libera, postremam sensationem sine ullis intermediis efficere valeret. Ergo.

40. Praeterea, certum est animam nostram causis sensationum interdum obsistere, earumque impulsionem sibi quodammodo subiicere. E. g., si oculos claudimus, prohibemus, quin lux sensationes colorum in animo producat, et idem globus ex variis, quibus illum versamus, modis variē animam afficit. Atqui

¹ *Tract. de princ. cognitionis humanae* (angl.), Dublini 1710, et *Dialogues entre Hylas et Philonous* etc. trad., Amsterdam 1750.

certum est actionem Dei ab animae nostrae nutu praepediri, aut variari non posse. Ergo.

41. Denique nos, cum, e. g., igni manum admovemus, non solum sensationem caloris, sed etiam calorem ignis experimur. Atqui, si haec sensatio, ut ad rem advertit s. Thomas, « in organo ab alio agente fieret, tactus, etsi sentiret calorem, non tamen sentiret calorem ignis, nec sentiret ignem esse calidum ¹ ». Ergo sensationes non a Deo in nobis excitantur, sed ab ipsis corporibus producuntur.

42. Prop. 3^a. *Si sensationes sunt subiectivae, non potest ex eis per ratiocinationem argui realis existentia corporum, ac proinde falsus est realismus hypotheticus, seu rationalismus.*

*Probat*ur, praecipue contra Cousinum ². Ratiocinatio, qua ex sensationibus subiectivis, quas veluti totidem effectus in nobis experimur, arguitur realis existentia rerum sensilium, utpote causa ipsarum sensationum, conclusionem habet ampliolem praemissis. Atqui huiusmodi ratiocinatio nulla est. Ergo.

43. *Maior* ita declaratur: Si sensationes nihil extra nos patefaciunt, ex eo quod ipsas, velut effectus, in nobis experimur, et ex eo, quod nullus effectus existere potest sine causa, sequitur oportere esse aliquam earum causam, non vero hanc causam esse corpora. E. g., si sensationem frigoris ab ipsa nive in anima produci non experiremur, sane ex eo, quod hac afficimur sensatione, atque ex eo, quod nullus effectus est sine causa, illud dumtaxat evinci potest, aliquam esse huiusmodi sensationis causam; at quomodo certi reddimur hanc causam esse nivem? Nonne Idealistae vel ipsam animam, vel Deum eius causam esse reponere possunt?

¹ *Qq. disp., De Potenti., q. III, a II c.* Ad quam rem observandum est fieri non posse ut Deus producat in nobis sensationes, quae ad corpora, seu ad sui materiam, referuntur, quin corpora existant; si enim Deus huiusmodi sensationes in nobis excitaret, nos deciperet, id quod infinitae Eius veracitati maxime repugnat. Neque hac ratione veracitatem sensuum ex veracitate Dei cum Cartesianis deducimus. Nos enim ad veracitatem Dei confugimus, non ut realem corporum existentiam statuamus, sed ut ipsam ab Idealistarum objectionibus vindicemus. Arbitramur enim corporum existentiam ex solo sensuum testimonio nobis immediate comperitam esse; sed, cum Idealistae omnipotentiam Dei nobis obiiciunt, ipsis reponimus Deum ea non posse efficere, quae veracitati suae repugnant.

² *Cours d'hist. etc., leq. XIX, Oeuvr. t.I, p. 271 sqq., Bruxelles 1840.*

44. Itaque existentia mundi sensibilis est veritas primitiva *facti*, nempe huiusmodi, ut ipsae perceptiones sensiles illam nobis immediate manifestent.

ART. III. *Quaedam Scepticorum, atque Idealistarum difficultates dibuntur*

45. Obiic. 1^o Dormientes, aequae ac vigilantes, corpora percipere putant, quae re ipsa non sunt. Atqui certe scire non possumus vitam nostram non esse perpetuum somnium. Ergo certe scire non possumus existere corpora, quae percipere nobis videmur.

46. Resp., *Dist. mai.*, eodem modo, ac vigilantes, *neg. mai.*, diverso modo, *conc. mai. Neg. min.*, et *cons.* Et sane, inter vigilantium, et dormientium perceptiones quidquam interesse ne Sceptici quidem diffiteri possunt; si enim nihil interesset inter statum vigiliae, et statum somni, certe ipsi alium ab alio, sicuti caeteri homines faciunt, minime secernerent. Non desunt autem notae, quibus oppositos hos status animi internoscere nobis licet. Nam 1^o in vigilia, non autem in somno experimur actionem rerum obiectarum, quibus circumdamur, in nostros sensus; unde in vigilia illas percipere, in somno autem imaginari dicimur. 2^o Quae in somno nobis videntur, minime apta, colligataque inter se sunt, nulla certa lege sibi succedunt, et nullis loci, temporis, aliusque eiusmodi nexibus continentur, quae omnia vigilantes constanter experimur. Hinc aiebat Lucullus apud Tullium: « Simul ut experrecti sumus, visa illa contemnimus, neque ita habemus, ut ea, quae in foro gessimus ⁴ ».

47. Obiic. 2^o Sensus saepe numero nos fallunt. Ergo tamquam criterium veritatis assignari nequeunt.

48. Resp., *Dist. ant.*, si non sint rite dispositi, *conc. ant.*, etiam cum sunt rite dispositi, *subd. ant.*, nos fallunt circa sensi-

⁴ *Acad., lib. II, c. 17. Cf s. Aug., Epist. CLIX, n. 3.* Quod de somniantibus, idem de insanis, et ebriis dicatur. Idem sanctus Doctor (*Solit., lib. II, c. VII, n. 13*) advertit hac difficultate existentiam corporum non solum non destrui, sed pro re certa sumi. Etenim Sceptici nobiscum consentiunt perceptiones dormientium inanes esse eo quod a perceptionibus vigilantium discrepant. Iam si illas pro falsis habent, quod ab his differunt, has veras esse fateri debent; siquidem sicut error sine veritate, ita dissimilitudo sine similitudine existere non potest.

lia communia, et per accidens, conc. ant., circa sensilia propria, neg. ant. Neg. cons. Et sane sicut in quovis instrumento, ita in sensibus quaedam requiruntur, ut officio suo rite perfungantur. Etenim 1° debent illi esse sani, et valentes, namque, ut s. Thomas monuit, si quo vitio laborant, rerum obiectarum impulsionem in se recte excipere nequeunt¹. Ita « febricitantibus, inquit idem sanctus Doctor, omnia videntur amara, propter hoc, quod sentiunt per linguam plenam cholera, quae est amara² ». Secundo, inter res obiectas, et sensus non maius aequo intervallum intercedere debet; alioquin res obiectae necessariam in sensus impulsionem minime efficiunt³. Tertio, nullum inter sensus, et res obiectas debet interiacere medium, quo rerum ipsarum impulsio depravetur, aut plene intervertatur. E.g., remus in aquis immersus videtur fractus, quia non solum per aerem, sed etiam per aquam sensibus exhibetur⁴.

49. His praestitutis, sensus, dummodo sint rite dispositi, recteque adhibeantur, numquam circa propria obiecta falluntur. Etenim cuilibet potentiae naturale est ferri circa proprium obiectum, ac proinde si sensus circa sensibilia propria deciperentur, error ex ipsa eorum natura promaneret. Atqui absurdum est consequens; siquidem, aiente s. Thoma, « quod alicui convenit ex sua natura, et non ex aliqua causa . . . deficiens esse non potest⁵ ». Absurdum igitur et antecedens. Hinc idem Aquinas statuit hoc principium: « Nulla virtus cognoscitiva circa proprium obiectum decipitur⁶ ». Quod si de sensibus *communibus* et *per accidens* sermo sit⁷, potest, ut idem sanctus Doctor inquit, error occurrere « etiam in sensu recte disposito, quia sensus non directe refertur ad illa, sed per accidens, vel ex consequenti, in quantum refertur ad alia⁸ ». Attamen etiam huiusmodi errores vitari possunt, si eadem res pluribus sensibus, et praesertim tactu, *supra quem*, ut ait s. Thomas, *omnes alii sensus fundantur*⁹, exploretur; nam, ut advertit Nemesius, sensus

¹ I, q. XVII, a. 2 c. — ² *De Anim.*, lib. II, lect. XXI.

³ Cf s. Thom., *In lib. III Meter.*, lect. IV.

⁴ Cf s. Aug., *De vera Relig.*, c. 33, n. 61, et s. Thom., *Op. cit.*, lect. III.

⁵ *Contr. Gent.*, lib. II, c. 15, n. 2. — ⁶ *Op. cit.*, lib. III, c. 108.

⁷ Cf *Dynam.*, c. III, art. 2, p. 110-111. — ⁸ I, q. XVII, a. 2 c.

⁹ I, q. LXXVI, a. 5 c.

arcta quadam communione inter se continentur, ac proinde alter errorem alterius facile manifestat¹.

50. Ad hanc rem praestat adnotare vim criterii *sensuum externorum* haud imminui illis falsis iudiciis, quae aliquando intellectus, ope sensuum, de rebus sensilibus conficit. Etenim, in hisce iudiciis vel intellectus iudicat de ipsa affectione sensuum, nempe sensus hoc, vel illo modo a rebus affici; vel iudicat res eo modo in se esse, quo a sensibus repraesentantur². Si de prima iudiciorum specie agitur, « sensus intellectui comparatus semper facit veram existimationem in intellectu de dispositione propria³ », nam « secundum quod sensus disponitur, secundum hoc dispositionem suam intellectui demonstrat⁴ ». Hinc s. Augustinus aiebat: « Ne ipsi quidem oculi fallunt, non enim renuntiare possunt animo, nisi affectionem suam⁵ ». Sin de altera, dicendum est illa iudicia esse vera, quoties facultates sentiendi rite adhibentur, quia cum ipsae rite adhibentur, perceptio sensitiva rem, uti in se est, manifestat. Quod si facultates sentiendi rite non adhibentur, illa iudicia sunt falsa. At vero error non ab ipsa sensuum natura, sed a temeritate nostra proficiscitur; intellectus enim minime expendens, utrum ea omnia sensibus suppetant, quibus ad rite fungendum officio suo opus habent, illorum testimonium excipit, falsumque de rebus iudicium pronuntiat⁶. « Si quis, inquit s. Augustinus, remum frangi in aqua opinatur, et, cum inde aufertur, integrari, non malum habet internuncium, sed malus est iudex; nam ille pro sui natura non potuit aliter in aqua sentire, nec aliter debuit, si enim aliud est aer, aliud aqua, iustum est, ut aliter in aere, aliter in aqua sentiat⁷ ».

CAPVT IV.

De criterio rationis

51. *Ratio*, prout est quoddam criterium, triplici nomine appellatur, nempe *intuitiva*, *inductiva*, et *deductiva*, quia, ut iam diximus⁸, tria complectitur, nempe *intelligentiam*, sive *intuitionem*, *inductionem*, et *sylogismum*.

¹ *De nat. homin.*, c. 8. — ² *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. I, a. 11 c.

³ *Ibid.* — ⁴ *Ibid.* — ⁵ *De vera Relig.*, c. 33, n. 62.

⁶ Cf s. Thom., *ibid.* — ⁷ *Op. cit.*, c. 33, n. 62. — ⁸ P. 228.

ART. I. De ratione intuitiva

52. Ratio intuitiva pro criterio veritatum primitivarum, quae necessariae sunt, habetur. Haec veritates *immediata evidentia* gaudent, ita ut « quisque statim probet audita ¹ », atque *axiomata*, vel *dignitates* passim appellantur.

53. Prop. *Veritas iudiciorum immediata evidentia fruentium adeo manifesta est, ut non solum demonstrationis non egeat, sed ne demonstrari quidem possit; potest tamen aliquo modo declarari.*

Probatur 1^a pars. Demonstratione opus est, ut convenientia, aut discrepantia cuiusdam attributi cum subiecto detegatur. Atqui in enunciationibus immediate evidentibus illa convenientia, aut discrepantia adeo manifesta est, ut non solum ipsam detegi necesse non sit, sed etiam contrarium his, inter quae illa convenientia, aut discrepantia perspicitur, cogitare nemo unquam possit ². Ergo.

54. *Probatur* 2^a pars. Quaelibet demonstratio principiis per se evidentibus innititur; ac proinde qui auctoritatem immediatae evidentiae demonstrare vult, iam tamquam certa sumere debet principia per se evidentia, ex quibus haec demonstratio proficiscitur. Atqui demonstratio, in qua pro certo sumitur id, quod vult demonstrari, nulla est. Ergo.

55. *Probatur* 3^a pars. Error ex eo in mentem cadere potest, quod ipsa interdum medio opportuno non utitur ad rei veritatem diiudicandam; hinc, quoties mens rem sine ullo medio, sed ipsa per se cognoscit, nullus errori locus esse potest. Atqui in enunciationibus, de quibus hic agimus, mens connexionem inter terminos sine ullo medio cognoscit. Ergo in huiusmodi enunciationibus nullus errori locus esse potest ³.

ART. II. De ratione inductiva

56. Ratio, prout ex veritatibus particularibus aliquam veritatem generalem per *inductionem* colligit, *inductiva* dicitur, et habetur pro criterio veritatum deductarum contingentium. Hic autem loquimur de inductione *incompleta*, nam inductionem

¹ In lib. III Sent., Dist. XXXV, q. II, a. 2 sol. 1 c.

² Cf s. Thom., In lib. I Post. Analyt., lect. XIX.

³ Cf Henr. Gandav., Summa, q. II, art. 3, n. 8.

completam nobis largiri certitudinem perspicuum ex se est; siquidem tota eius vis in eo posita est, ut toti generi tribuatur id quod compertum est singulis speciebus illo genere comprehensis convenire ⁴.

57. Prop. *Inductio incompleta, quae sufficientem partium enumerationem exhibet, certitudinem nobis largitur.*

Probatur. Inductio incompleta, quae sufficientem partium enumerationem exhibet, ut alibi diximus ², in firmitate ordinis mundani innititur. Atqui dubitari non potest de firmitate ordinis mundani. Ergo.

58. *Minor* demonstratur ex ipsa rerum mundanarum natura. Et sane « eo modo, inquit s. Thomas, aliquid operatur, quo est ³ », sive « similiter unumquodque habet esse, et operationem ⁴ ». Atqui causae naturales huiusmodi sunt, ut electionis vi destituantur. Ergo oportet, ut in ipsis sit « virtus operativa determinata ad unum ⁵ »; ac proinde quoties causa naturalis in eadem rerum conditione versatur, toties eundem effectum producit, nisi causa aliqua exterior eius actioni obicem opponat ⁶. Atqui ex uno, eodemque modo, quo causarum naturalium operationes fiunt, firmitas ordinis mundani exurgit. Ergo de firmitate ordinis mundani dubitari non potest.

59. Huius argumenti vis haud minuitur ex eo, quod aliquando causae naturales, ut diximus, ab aliqua causa exteriori impediuntur, quominus effectum suum producant ⁷. Etenim ad inductionem spectat non eventus particulares, sed leges universales naturae nobis manifestare, quia eius conclusio, ut diximus ⁸, est semper universalis. Atqui causae naturales etiam quando impediuntur, quominus effectum suum producant, virtute producendi illum effectum haud destituuntur; ac proinde uni-

¹ Cf Log., part. I, c. III, art. 6, p. 46.

² Log., loc. cit., p. 47. — ³ I, q. LXXV, a. 2 c.

⁴ Ibid., a. 3 c. — ⁵ I, q. XXII, a. 2 ad 4.

⁶ « Pertinet ad agens naturale, ut suum effectum producat, quia natura uno, et eodem modo operatur, nisi impediatur »; I, q. XIX, a. 4 c. Cf s. Aug., De Gen. ad litt., lib. IX, c. 47, n. 32.

⁷ Huiusmodi impedimentum accidere potest vel secundum leges, quibus mutuae actiones causarum naturalium reguntur, vel potest oriri ab immediata Dei actione, et tunc, ut alias videbimus, existunt facta *supernaturalia*.

⁸ Log., loc. cit., art. 2, p. 37-38.

versalis lex naturae, quod nempe quaedam causa ad quemdam effectum producendum determinata est, firma, immotaque manet. E. g., etsi aqua ob morbum, quo corpus hydropici laborat, eius sitim non restinguat, sed augeat; tamen ipsa vim restinguendi sitim non amittit, ita ut semper certum nobis sit aquam vi restinguendi sitim pollere. Ergo ex eo, quod impedimentum actioni causarum naturalium obiici possit, nihil contra veritatem enunciationum, quae inductione comparantur, inde conficere licet.

60. Diximus, quae sufficientem partium enumerationem exhibet: nam, ut constat ex iis, quae in *Logica* diximus, si quamdam qualitatem in paucis, non vero in plerisque individuis experti sumus, illam esse ipsis naturalem, proindeque in ceteris eiusdem naturae quoque inveniri magis, vel minus probabile, sed non certum esse nobis potest.

61. Ex his colligitur falsum esse id, quod Humius autumavit; nempe vim inductionis incompletae nullo firmo principio inniti⁴. Etenim, quemadmodum Scotus monuit², atque a nobis iam ostensum est, veritas inductionis ab experientia, et a ratione vim suam sumit. Experientia enim ostendit quamdam qualitatem constanter in aliqua re inventam esse; ratio autem suggerit illam qualitatem, eo quod constanter in illa re invenitur, ad eius naturam pertinere; ex quo consequitur fore ut illa qualitas in omnibus similibus subiectis constanter inveniat.

62. Obiic. Leibniti³, Genuensis⁴, Rosmini⁵: Certitudo perfecta non invenitur, nisi in iis, quorum oppositum est impossibile. Atqui fieri potest, ut id, quod legibus naturae adversatur, eveniat. Ergo certitudo inductionis, quae a constantia legum naturalium pendet, non est perfecta.

63. Resp. *Dist. mai.*, est impossibile vel *absolute*, vel *naturaliter*, *conc. mai.*, *absolute* tantum, *neg. mai.* *Dist. pariter min.*, fieri potest *absolute*, *conc. min.*, *naturaliter*, *neg. min.* *Neg. cons.* Re quidem vera, certitudo, quemadmodum ex s. Thoma mo-

¹ *Essais sur l'entendement humain*, Ess. IV, part. II, *Oeuvr. phil.*, trad. de l' angl., t. I, p. 121-138, Lond. 1788.

² *In lib. I Sent.*, Dist. III, q. IV, *Schol.*

³ *Dissert. De stylo philos. Marii Nizolii*, § 32.

⁴ *Logico-crit.*, lib. V, c. 6.

⁵ *Trattato della coscienza morale*, lib. III, sez. 2, c. 2, art. 3.

nimus¹, diversa ratione dicitur *perfecta*, prout diversae speciei est; nam certitudo *metaphysica* perfecta dicitur, quia oppositum est absolute impossibile, certitudo autem physica est perfecta, quia oppositum est impossibile *hypothetice*, seu inspecto naturae ordine². Iam certitudo, quam inductio nobis largitur, est physica, ac proinde est perfecta; nam etsi id, quod legibus naturae opponitur, non sit absolute impossibile, tamen omnino certum est rem naturaliter secus evenire non posse.

ART. III. De ratione deductiva

64. Ratio, prout ex veritatibus generalibus alias minus generales, aut particulares per syllogismum elicit, *deductiva* dicitur, et ideo habetur pro criterio veritatum deductarum, sive hae necessariae, sive contingentes sint. Circa huiusmodi criterium duo nobis demonstranda sunt, nempe syllogismi veritas, et utilitas.

65. Prop. 1^a. *Veritas syllogismi sine contradictione negari non potest.*

Probat. Non potest sine contradictione concedi aliqua enunciatio, et simul negari alia, quae cum illa necessario connectitur. Atqui inter praemissas, et conclusionem syllogismi necessaria connexio existit, siquidem conclusio cuiuscumque syllogismi tunc dicitur secundum logicae regulas derivari ex praemissis, cum illa his continetur. Ergo si quis praemissas concederet, et conclusionem negaret, eandem enunciationem simul assereret, et negaret, ac proinde in contradictionem impingeret. E. g., in hoc syllogismo: *Omne animal habet vitam sensitivam; atqui homo est animal; ergo homo habet vitam sensitivam*, si quis concedat haec duo, nempe, omne animal vita sensitiva frui, atque hominem esse animalium speciem, iam exinde concedit hominem vi sentiendi pollere; quocirca si eam negaret, a se ipso consideret.

66. Prop. 2^a. *Syllogismus ad inveniendam veritatem immane quantum utilitatis confert.*

Probat. contra Van-Helmontium³, aliosque philosophiae peripateticae osores. Mens cum progreditur ad cognoscendum a-

¹ Cf *Log.*, part. III, c. IV, art. 2, p. 89.

² Cf p. 226-227. —³ *Log. inutilis*, tract. VIII, *Opp.*, p. 27, Lugduni 1667.

ctu illud, quod antea *virtute*, seu *potentia* cognoscebat, novam cognitionem adipiscitur. Atqui mens ope syllogismi sibi comparat *actu* illam cognitionem, cuius acquirendae virtute dumtaxat pollebat. Ergo syllogismus ad veri cognitionem valde utilis est.

67. *Probatur minor.* Mens, cum praemissas in se cognoscit, conclusionem, quae in illis *potentia* continetur, *potentia*, non *actu* cognoscit, quia satis non est aliquid altero contineri, ut mens unum videns, videat et alterum; sed necesse est, ut aliud alio contineri perspiciat. Atqui mens non nisi ope syllogismi conclusionem praemissis contineri *actu* cognoscit. Ergo mens ope syllogismi progreditur ad agnoscendum *actu* illud, quod antea *potentia* dumtaxat cognoscebat.

68. Ut haec clariora fiant, memoria revocandum est cognitionem, quam per syllogismum nobis comparamus, non esse *intuitivam*, per quam *aliquid in alio cognoscitur*, sed esse *deductivam*, per quam *aliquid ex alio cognoscitur*¹; unde conclusio ex praemissis *elici*² dicitur. Atqui ratio non potest conclusionem ex praemissis elicere, nisi duas exerat actiones, quarum una veritatem praemissarum, altera veritatem conclusionis cognoscit³. Ergo nos ratiocinando conclusionem cognoscimus non eodem actu, ac praemissas, sed novo actu, qui illi succedit; unde, primum investigamus, utrum extrema cum medio conveniant, deinde ex hac investigatione relationem ipsorum extremorum cognoscimus.

CAPVT V.

De criterio memoriae

ART. I. *Veracitas huius criterii ostenditur*

69. Etsi memoria, uti diximus¹, nihil novi nos doceat, tamen ipsa cognitiones ante adeptas revocat, ac proinde conditio est, sine qua scientia humana constare non potest. Iam praeteritas cognitiones, quas memoria, cum recte adhibetur, nobis sugge-

¹ Cf s. Thom., *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. VIII, a. 15 c.

² Cf s. Bonav., *In lib. III Sent.*, Dist. XVIII, a. 1, q. 3 *ad arg.*

³ « Tunc dicitur, subdit s. Thomas, aliquid ex aliquo cognosci, quando non est idem motus in utrumque, sed primo movetur intellectus in unum, et ex hoc movetur in aliud »; *Op. cit.*, *ibid.* — 4 P. 228.

rit, re vera olim in nobis extitisse, sequenti propositione demonstratur:

Prop. *Memoriae veracitas negari non potest, quin simul ipsa memoria animo denegetur.*

Probatur. Omnes in his duobus consentiunt: 1° quod memoria posita est in vi recognoscendi perceptiones, quas antea habuimus; 2° quod memoria non aliter nos decipere potest, nisi quatenus ante mentem sistit perceptiones, quas antea non habuit. Atqui horum unum altero destruitur. Ergo oportet memoriam aut tamquam per se veracem habere, aut animo denegare¹.

70. Praeterea, nos potestate pollemus discernendi perceptiones, quas re ipsa habuimus, ab iis, quae fictitiae sunt; nam quoties conamur aliquid, cuius obliti sumus, recordari, species rerum, quae nobis sese offerunt, respuimus, donec illa, quam quaerimus, nobis occurrerit. Atqui potestas, qua reale a fictitio discernitur, est verax. Memoria igitur, quae est huiusmodi potestas, verax est².

ART. II. *Nonnullae obiectiones diluuntur*

71. Obiic. Nihil frequentius auditur, quam memoria nos decipi. Ergo memoria non est criterium veri.

72. Resp., *Dist. ant.*, eo quod saepe obliviscimur eorum, quae antea cognovimus, *conc. ant.*, eo quod revera non habuimus cognitiones, quas memoria perspicue revocat, *neg. ant.*; *neg. cons.* Si res diligenter expendatur, facile perspicietur homines huius rei potissimum conqueri, quod non nisi pauca eorum, quae didicerunt, in memoriam revocare possunt, non quod perceptiones novas pro praeteritis accipiunt. Iamvero illud non ex memoriae vitio, sed ex limitibus ipsius oritur, qui in causa sunt, cur non recordemur omnium, quae didicimus.

73. Inst. Atqui re ipsa homines quandoque putant figmenta suae phantasiae esse imagines factorum, quae olim perceperunt. Ergo.

74. Resp., *Dist. ant.*; hoc evenit penes homines haud sui compotes, *conc. ant.*, apud homines sui compotes, *neg. ant.* Revera, quemadmodum Aristoteles iam animadvertit, illud, quod nobis

¹ Cf s. Aug., *De Trin.*, lib. XI, c. 8, n. 13.

² Cf s. Aug., *Conf.*, lib. X, c. 19, n. 28.